



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Denunciationis Form XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

- |   |   |
|---|---|
| <p>6 Simonia committitur, non solum in renunciatione Beneficii, sed etiam in electione, presentatione, vel cessione juris praesentandi.</p> <p>7 Delictum simoniae solus Judex Ecclesiasticus cognoscit.</p> <p>8 Sententia lata contra simoniacum, an suspendatur per appellationem ostenditur, n. 9.</p> <p>10 Ut de simonia dicatur constare, tria concurrere debent; &amp; explicatur definitio simoniae.</p> <p>11 Simonia committitur, ubi intervenit munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio, &amp; explicantur species.</p> <p>12 Simonia mentalis, Conventionalis,</p> | <p>&amp; Realis explicatur, &amp; qualis ex his puniatur ostenditur.</p> <p>13 Simonia realis, probatur conjecturis, &amp; praesumptionibus.</p> <p>14 Renunciatio Beneficii simoniace facta, est ipso jure nulla, nec indiget sententia Judicis &amp; num. 15.</p> <p>16 Simonia an cadat in Cappellanis laicalibus ostenditur, &amp; num. 17.</p> <p>18 Datur forma monitionis contra inquisitum exequendae.</p> <p>19 Appellatio in delicto simoniae, an, &amp; quando sit recipienda ostenditur, &amp; num. 20. &amp; 21.</p> <p>Simoniacus pendente appellatione est suspendendus ab Altari.</p> |
|---|---|

Denunciationis.

FORMULA XXII.

**H**ic auctoritate ordinaria denunciantur, & declarantur excommunicati majori excommunicatione Papae reservata, nec non privati Beneficio Ecclesiastico sub invocatione N. in Ecclesia N. erecto N. & N. ex eo quia in renunciatione d. Beneficii invicem facta pacta illicita, & simoniaca a Sac. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis reprobata inierunt. Ut igitur ab omnibus evitentur praesentes publicari iustissimus, & excommunicati existant, donec tanti sceleri peracta condigna penitentia, meruerint a Sede Apostolica absolutionem obtinere Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

**C**on auctoritate ordinaria, si denunciano, e dichiarano scomunicati di scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, e privati del Beneficio Ecclesiastico N. eretto nella Chiesa N. perche nella rinuncia di detto Beneficio fatta da d. N. a favore di detto N. hanno fra di loro convenuto patti illiciti, e simoniaci, riprovati da Sacri Canonibus, e dalle Constitutionibus Apostolicis: ed accioche siano da tutti evitati si sono publicati i presenti Cedoloni: e cosi starranno scomunicati, fin tanto che fatta condigna penitentia d'un tanto eccesso meriteranno d'essere assoluti dalla Sede Apostolica, Dato &c.

N. Vescovo N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Attuario.

Monacelli Form. Pars III.

G AD-

## ADNOTATIONES.

**V**ISIS TESTIBUS. In crimine simoniæ quælibet persona admittitur ad testimonium ferendum, nemoque repellitur, nisi exceptione inimicitiae capitalis, & conspirationis, cap. licet Heli de simo. ibique glos. & alii quos refert, & sequitur Paris. de confid. benefic. quæst. 66. num. 7. 8. & seqq. imò tum ex dispositione Bullæ Pii V. la 85. §. 6. tum juris, testes probant, etiam si sint singulares, singularitate diversificativa, præfertim (ut hic) ubi non agitur de pœna ordinaria infligenda, sed de jam incurfa declaranda, Paris. loco citat. quæst. 67. num. 5. & seqq. quem sequitur D. Raynald. resol. crimin. ad cap. 32. supplem. 7. n. 40. & seqq.

Et ratio adducitur: quia cum in d. extravag. 2. de simon. admittantur ad revelandum etiam complices, & socii criminis (qui nunquam sunt idonei testes) ad hoc ut participes valeant coerceri: multò magis alii testes, qui infirmiore exceptionem patiuntur admitti debent: item secunda est ratio: quia crimen simoniæ, & crimen hæresis Simoniaci, & Hæretici æquiparantur, ut habetur expressè ex canone Paschalis Papæ ult. 1. qu. 7. Unde cum in crimine hæresis admittantur ad probandum etiam personæ inhabiles, & crimine irretitæ, & testes singulares, c. in fidei favorem de hæret. in 6. ita admittuntur in crimine simoniæ, prout argumentatur Paris. de confid. benefic. d. qu. 66. n. 8. & duob. seqq. & est text. clarus in cap. 1. de test. in 6. Pirhing. in ius canon. lib. 5. tit. 3. num. 146.

Hæc tamen declarat procedere, si agatur per viam inquisitionis (ut hic) prout declarat Barbof. in dict. cap. in fidei favorem de hæret. in 6. num. 8. quando testis non est socius criminis, & muneris simul, nam hic non probaret contra simoniacum, ut declarando conclusionem distinguit Paris. de resign. benefic. lib. 14. q. 10. n. 28. & colligitur ex dict. cap. 1. de test. in 6. Ricc. collect. 1715.

In renunciatione Beneficii. Hoc dicitur per modum exempli, cæterum sive

agatur de renunciatione, sive electione, sive permutatione, sive præsentatione, aut alia quacunque provisione beneficii, aut cessione juris præsentandi ad Beneficium, poterit de labe simoniaca inquiri, cum in omnibus ejusmodi actibus crimen verificetur, ut patet tum ex Constitutionibus Apostolicis in formula enunciatis, & tradunt communiter Paris. de resign. de benefic. lib. 14. quæst. 2. num. 7. & seqq. Fagn. in cap. tua nos num. 6. & 7. de simon. Corrad. prax. benefic. lib. 14. cap. 5. num. 51. & seqq. tum ex textu in c. prætereà de transact. & idem dicitur de crimine confidentiæ beneficiæ juxta terminos Const. Pii IV. 85. & Pii V. pariter 85. Bullar. tom. 2.

Dicimus, & declaramus. Hoc crimen est mere Ecclesiasticum, & ideo Judex laicus non potest de eo cognoscere, sed privativè ad solum Ecclesiasticum cognitio pertinet, etiam si qui crimen commisit sit laicus, gloss. in c. cum sit de for. comp. vers. malefactores, Bellet. dis. cler. de favor. real. §. 2. num. 26. Pirhing. in ius canon. lib. 5. tit. 3. num. 142. cujus sententia non suspenditur per appellationem, si hæc fuit interposita, declaratoria jam lata, prout dictum fuit in præcedenti formula de declaratoria usurarum. Et per plura jura probat ab hac sententia appellationem non dari Pirhing. loco mox supra citato n. 131. vers. illud denique; nisi quis appellaret ante sententiam: licet Rot. coram Seraph. decis. 1045. num. 5. velit, quod hæc opinio vera sit, quando simoniacus sit notorius, vel confessus, vel simonia sit contracta in collatione ordinis, si verò simoniacus sit occultus, & simonia sit super Beneficio, tunc detur appellatio, & hæc Rotæ Sententia verior videtur. Episcopus autem negligens procedere contra simoniacos per duos menses ab Officio suspensus est, c. quidquid 101. 1. quæst. 1. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 12. num. 45.

Constare de crimine simoniæ consummato. Antequam Judex pronunciet crimen simoniæ esse completum, debet advertere, an concurrant requisita, quæ in definitione continentur, & an simonia sit mentalis, conventionalis, vel rea-

realis, Simonia etenim a gloss. communiter recepta in *Rub. de simon.* sic definitur --- *simonia est studiosa voluntas, vel cupiditas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum* Dicitur studiosa, idest deliberata, quia sine deliberatione, simonia non fit. Additur *emendi vel vendendi spiritualia, vel annexa*: quia hoc est objectum Simoniae. Verbum autem *emendi*, non adhibetur solum ad significandum contractum emptionis, & venditionis, ac si peccatum simoniae solo contractu emptionis, & venditionis committatur: verum etiam adhiberi ad significandos caeteros contractus onerosos, qui non gratis, nec liberaliter fiunt, sed æquivalent emptioni, venditioni, transactioni, pacto, & permutationi, ut explicat Barb. in *rubr. hoc tit. de simon. n. 3.*

Et hinc est quod Gregor. VII. in *cap. ordinationes 113. l. qu. 1.* in Synodo Romana definiuit, quod tibi intervenit munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio, simonia dicatur completa. Per munus a manu intelligitur pecunia, & quodlibet bonum temporale, sive solvatur ex fructibus beneficii, sive aliunde pro re spirituali, vel spiritualitati annexa. Navar. *consil. 84. num. 10.* Passerin. *de elect. cap. 7. num. 126. & 127.* Per munus a lingua intelliguntur preces, quæ ut habeant rationem pretii, fieri debent ex pacto, v. gr. si intercedas pro me apud Principem, vel alium Superiorem, dabo tibi Beneficium. Per munus ab obsequio intelligitur omne servitium temporale, quod fiat loco pretii, v. g. confero tibi, vel renuncio hoc Beneficium, cum pacto, & onere, tale obsequium præstandi.

Unde cadit inspectio in Notario, qui plus debito pro Dimissoriis Clericorum ordinandorum recipit: hunc enim Simoniam committere dixit Nicol. *lucubr. civil. lib. 4. tit. 18. de sim. num. 28.* ubi Decretum Cong. Concilii allegat. At ut verum fatear, (si non intercedat, alia gravans facti circumstantia, prout adfuisse credendum est in Decreto à Nicolio allegato), sola exactio pecuniæ excessiva, non facit actum simoniacum; nam licet

D. Gregorius in Synodo Romana relata in *cap. sicut Episcopum l. quæst. 2.* prohibuerit Notario Ordinationis aliquid accipere, & glossa ibi dicat, quod in collatione Ordinum Notarius, sive habeat salarium, sive non, nihil nec pro labore, pro carta debeat recipere, & quod Episcopus providere teneatur, ut gratis scriptura detur: hoc tamen non prohibetur tanquam simoniacum; sed tanquam illicitum, cum Sacramenta sint gratis ministranda juxta canonem Concilii Toletani relatum in *cap. quidquid invisibilis, & ibi glos. l. qu. 1.* Proptereaque Sac. Cong. Episc. huic dubio proposito a Vicario Apostolico *Larinen. 17. Septemb. 1587.* respondendo, declaravit, quod recipientes pecunias pro Dimissoriis, simoniam non committerent, sed aliud delictum punibile.

Simonia mentalis, quæ committitur traditione rei temporalis in pretium pro re spirituali sine pacto, & conventionione explicita, sed solum mente concepta, non punitur in foro externo, & Simoniacus mentalis, non tenetur ad resignationem Beneficii, aut restitutionem, licet peccaverit, textus est in *cap. ult. de simon. ibique glos. & Barb. num. 3.* Simonia conventionalis, quæ perficitur conventionione extrinseca de pecunia, vel pretio, sed adhuc non est secutus effectus ex utraque parte, reddit inhabilem ad Beneficia futura obtinenda: at non privat obtentis, secundum opinionem, quam tenet, & sequitur Gonzal. *ad regul. 8. glos. 15. n. 70.* Rot. coram Pamphil. *dec. 369. num. 3.* de qua tamen conclusione plures dubitant, ut dicit Tondur. *quæst. benef. tom. 2. par. 3. cap. 160. num. 14.* qui volunt ut sufficiat etiam ad penam privationis. Simonia realis, de qua loquitur hic formula, quæ perficitur executione pactorum, ex utraque parte conventorum, privat ipso jure, Gonzal. *ubi supra num. 69.* & propter ea dicitur in formula --- *constare de crimine simoniae consumato*, ad ostendendum, quod tractatus, sive pactum illicitum inter renunciantem, & renunciatarium, non punitur nisi secuto effectu, ut enim sit simonia realis debet compleri, quod tractatum fuit:

G 2 unde

- unde in processu necesse est probare saltem per præsumptiones, & conjecturas, quod resignans, & resignatarius per venerint ad perficiendum quod in pactum deduxerant saltem in parte, Paris. *de confid. benef. quest. 39. n. 7. & seqq.* quem sequitur Tondut. *quest. benef. tom. 2. par. 3. c. 106. n. 7. & seqq.*
- 13 Conjecturæ autem, & præsumptiones, quibus resignatio simoniaca probatur completa, debent esse concludentes, & plenè probatæ. Paris. *de resign. lib. 4. qu. 8. per tot.* itaut nihil aliud importare possint, Rot. coram Seraphin. *decis. 1029. num. 2.* præsertim si agatur per viam accusationis, in qua probationes debent esse pleniores, Lotter. *de re benef. lib. 3. quest. 29. num. 62.* Quidquod sit de simonia confidentiali, quæ dicitur completa, & probata per solam promissionem, Tondut. *d. cap. 106. num. 11.*
- 14 *Et privatos esse d. beneficio.* Hodie jure novissimo renunciatio Beneficii simoniacè facta est ipso jure nulla, nec indiget alia sententia Judicis. Unde Beneficium simoniacè renunciatum, sive obtentum dicitur vacare, & potest impetrari a quocumque, vigore Constitut. Apostolicæ quas in necessariis refert Paris. *de resign. d. lib. 14. quest. 2. per tot.* Gonzal. *loc. cit. num. 69.* & sic quod ad Beneficium super quo cadit simonia, bene dicitur in formula, tam renunciantem, quam renunciatarium esse privatos, cum jam vacet ipso jure: quicquid sit de aliis Beneficiis ab eisdem possessis, quibus privati non remanent, nisi prius sequatur sententia, at docet Tondut. *quest. benef. tom. 1. cap. 97. num. 22. & part. 2. cap. 5. §. 1. num. 1. & 2. tom. 2. part. 3. cap. 135. num. 23.*
- 15 Neque huic verissimæ sententiæ obstat opinio Navarri *conf. 92. de simon.* putantis Beneficium non vacare ipso jure, sed esse expectandam judicis sententiam ex quo ut ipse ait *Bulla Pii V.* quæ incipit *cum primum*, non sit usu recepta: quia ejus opinio est reprobata: cum observantia Constitutionum Apostolicarum, non pendeat ab usu, & receptione subditorum, sed eo ipso quod sunt publicatæ, obligant in conscientia, & nunquam abrogantur contrario usu, sive Consuetudine, ut reprobatis Garc. & Barbof. qui idem asserbant de Constitutione *Sixti V.* emanata super delatione habitus Clericalis, dixit Rot. cor. Caccia, & Molines, a me allegat. *part. 2. tit. 15. ad form. 4. num. 2.*
- Et hinc est, quod Beneficiatus, qui Beneficium simoniacè scienter obtinuit; tenetur illud in conscientia dimittere, cum hoc sit effectus privationis ipso jure, Paris. *de confid. benef. quest. 58. num. 22. 23. & 24.* Guazzin. *jun. ad defens. animar. lib. 2. defens. 6. cap. 47. num. 20.* & nisi dimittat, dicitur in peccato perseverare, ut ait Lotter. *de re benef. lin. 3. q. 29. num. 165.* absque eo, quod illum excusare valeat circumstantia simoniæ occultæ, seu timor infamiæ: quia hæc forte juvant pro obtinenda à Papa, sive a Pœnitentiaria dispensatione, non autem ut eum tutum in conscientia reddant, ad tradita per Corrad. *prax. disp. lib. 5. c. 11. n. 7.* & tenetur fructus perceptos restituere, quia nunquam habuit titulum, cum jus resistat acquisitioni Beneficii ab initio, Lotter. *dict. quest. 29. num. 160.* Corrad. *ibid. n. 1. & seqq.* Si autem simonia esset ignoranter contracta, puta per tertium, tunc, quia acquiritur titulus coloratus, habita per Beneficiatum notitia, & facta dimissione, daretur a Pœnitentiaria retentio, prout de stylo testatur Corrad. ubi supra *num. 4.*
- Censura autem d. extravagantis, non 16 cadit in Cappellanis laicalibus, quamvis perpetuis, erectis sine consensu Ordinarium aut alterius Superioris Ecclesiastici auctoritate: quia non sunt Beneficia Ecclesiastica, sed potius officiatorum, quæ administrari possunt a laicis etiam fœminis, & ideo pactum initum circa has Cappellanas, non dicitur simoniacum cum non sit quid spirituale, Gonzal. *ad regal. 8. glos. 5. num. 25.* ubi quod hæc opinio fuit per tres sententias Rota- les canonizata, & eum sequitur Corrad. *prax. benef. lib. 4. c. 5. num. 57.* Potest tamen etiam in his dari, & verificari pactum simoniacum, quando haberent aliquam spiritualitatem annexam, ut respon- dit Rot. cor. Pamphil. *d. decis. 396. in 6.*

18 Monitio denique contra simoniacum post constructum processum informativum, & ante declaratoriam exequenda, sic poterit concipi - *Citetur, & moneatur N. ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem contentam in extrav. 2. de simon. & in Bulla B. Pii V. 5. §. 8. in termino trium dierum, aliis termino elapso die immediatè sequenti compareat ad videndum se excommunicatum declarari, & publicè denunciari absque alia monitione, &c.*

19 Si reus monitus compareat in suis exceptionibus est audiendus, si verò a comminatione censuræ appellat, ejus appellatio erit reiicienda, & Episcopus, quatenus sibi ex processu constet de crimine, poterit appellatione non obstante, procedere ad declaratoriam: quia talis comminatio, nullum infert gravamen, ut comminationem excommunicationis ferendæ, a comminatione declaratoriarum excommunicationis jam latæ à jure distinguendo, docet Fagnan. *in c. Super eoll. 2. numer. 50. de appellat.* At si iterum a declaratoria appellaret, tunc erit super sedendum a publicatione Cedulorum, præfixo appellanti termino ad prosequendam appellationem. Nam licet à pœna, & sententia legis non possit appellari *glos. in c. quia nos 32. in fin. appellat.* a declaratoria tamen hominis, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellari, & appellatio debet admitti, etiam ad effectum suspensivum, quia Judex potuit errare, ut in terminis declaratoriarum censurarum tradunt Navar. *de sent. excom. lib. 5. cons. 9. num. 5. Bonaccin. de censur. disp. 1. qu. 2.*

*punct. 2. n. 7. Pasqual. ad Laurent. de Franc. par. 2. quæst. 12. num. 6. Fagn. loco cit. d. num. 50. Donat. prax. rer. regular. tom. 2. par. 2. tract. 10. de appellat. quæst. 28. n. 3. nisi tamen delictum sit adeo notum, ut nulla tergiversatione celari, & negari possit, tunc enim non prodesset appellatio, & posset deveniri ad publicationem Cedulorum, Bonaccin. loco citato, & alii ab eo allegati: vel saltem etiam si sit locus appellationi, dummodo inquisitus ex probationibus receptis sit de Simonia diffamatus, erit a celebratione missarum Suspendendus, c. accusatum, &c. seq. de Sim.*

*De excommunicatione contenta in c. quicunque 12. quæst. 2. & c. omnes Ecclesie 17. quæst. 4. innovata à Concil. Trid. sess. 22. c. 11. de reform.*

Sacrilegi, & dolosi usurpatores rerum Ecclesiarum, locorumque piorum, ab Ecclesia eliminandi sunt, & anathematizandi; ut canones, & Concilia decreverunt. Quare Episcopus, si in Visitatione, vel extra reperiat aliquem Administratorem, Officium, Syndicum, Exactorem, Depositarium, aut Æconomum alicujus Ecclesiæ, Monasterii, Montis Pietatis, Hospitalis, alteriusve loci Pii, studiis prævaricantis, illorum bona, pecunias, & Jura retinere, in proprios usus convertere, invadere, & usurpare, eos adhibitis juris remediis ad restitutionem compellat, etiam excommunicationis.

## Sententiæ Declaratoriæ.

## F O R M U L A XIX.

**V**isactis, & Decretis nostræ Visitationis Sac. Montis Pietatis in hac Civitate legitime erecti, Sententia Revisorum Computorum, aliisque juribus exhibitis, per Procuratorem locorum Piorum, ex quibus constat N. Depositarium, & Administratorem dicti Montis pecunias in Summa . . . . & alios redditus ejusdem, quæ in pauperum necessitatibus converti debuerant, aliò propria auctoritate contra formam Bullæ Pauli V. vel Statuti Montis) divertisse,

*Monacel. Formul. Pars III.*

G 3 imò